

naturalistico latius extendendo serio cogito. Procul dubio Tibi, Vir celeberrime, non nihil de expeditione Myliana, Kalmianæ æmula, historiæ naturalis quarundam americanarum provinciarum conquirendæ gratia dirigente Hallero suscepta, innotuit, quæ vero fati præmaturis C. Mylii in ipsis jam liminibus finita est. Quoniam Rex noster notabilem portionem sumtuum ad hanc expeditionem requisitorum in se susceperat, occasio inde mihi fuit data in Mylii quidem non locum sed simile munus adipiscendi hominem, ad illud negotium fere natum Julii Bernh. de Rohr, Canonici olim Merseburgensis, historia sua naturali Hercyniæ, Phytotheologia aliisque similibus scriptis clari, filium, Medicinæ Candidatum, qui sola munificentia regia suffultus, sub titulo Naturalistæ regii, mea instructione omnibusque ad illud negotium requisitis instrumentis comitatus, quam proxime insulas Danicas Americanas, St. Crucis, St. Thomæ et Joannis petiturus est, ad Floram, Faunam, Plutonem, Proserpinam et Nereides eius regionis, quam fieri potest, diligentissime colligenda et describenda. Abhinc noster ad alias quoque exteras Danorum colonias et sedes (immo, si licuerit, etiam Hollandorum, Gallorum et Anglorum) abiturus est, ad idem negotium continuandum, donec eo studio exsatiatus ille ipse domum revertere velit. Ipse ego quidem ex meis experienciis, cum eiusdem partim studii gratia Sibiricæ borealem partem, mare album, arcticum et balthicum pervagaverim, consilia eò pertinentia dedi. Si vero Tibi, vir excellentissime, placeret his de Tuis multo magis maturis et aliis quoque de Kalmio Clarissimo profectis aliqua addere, foetus forsitan vnus vel alter Floræ indicæ occidentalis non ingratus pro isto studio Tuo collato gratias reddere possent.

Marem Lampyridum Te nondum vidisse in Fauna scribis. Cum ego, noctilucarum admodum amans per æstatem colonias horum insectorum nutrire soleam, eaque conjugata habuerim, si jusseris, vel iconem vel naturale exemplar vnum vel alterum mittam. Mas primo intuitu Elaterem refert, exactius vero consideratus caput cassidis, abdomen vero et elytra flexilia Cantharidum ostendit. Ova pariter lucida sunt, sed debilius lumen spargunt. Pluviosa præcipue nocte nuptias